

DEDICATORIA.

Quicquid nostra literarum studia promouere potest, hoc arripiendū, hoc magna cura seruandum. Quicquid ad virtutis amorem nos impellit, hoc strenuè sectandum. Quicquid verò bonos mores labefactare, & corrumpere videtur, hoc pro virili fugiendum. Quòd si quis Aristophanem ob multa cū dicta, tum facta verè flagitiosa, quę priscum illud dicendi genus comicum redolent, de medio tollendum censeat, idem & ceteros omnes tam Gręcos, quàm Latinos scriptores eadem de causa perdendos esse censeat. Nam, vt Ouidius Trist. 2. canit,

*Ilias ipsa quid est nisi turpis adultera, de qua  
Inter amatorem pugna, virumque fuit?  
Quid prius est illuc flamma Chryseidos: aut qua  
Fecerit iratos rapta puella duces?  
Aut quid Odysea est nisi femina propter amorem,  
Dum vir abest, multis vna petita procis?  
Quid nisi Maonides Venerem, Martemq; ligatos  
Narrat in obsceno corpora pressa toros?  
Vnde nisi indicio magni sciremus Homeri,  
Hospitis igne duas incaluisse Deas?  
Omne genus scripti grauitate Tragedia vincit,  
Hęc quoque materiam semper amoris habet.*

Et paulò post,

*Est & in obscenos deflexa Tragedia risus,  
Multaque præteriti verba pudoris habet.*

Hoc vnum exemplum nobis omnium instar erit. hinc facillè conici potest quidnam de ceteris sit sentiendum, quid iudicandum. An igitur Homerum, qui suorum Heroum, quin etiam Deorum furta, mendacia, periuria, rixas, iracundiam, pugnas, vulnera, venereos amores, adulteria, incesta, & scelera, quę ne honestè quidem nominari possunt, prolixè descripsit, absolues, vt que poetarum principem laurea coronandum censebis, Aristophanem verò, qui grauius non peccauit, omnib. suffragiis damnabis, eiùsque nomini sempiternam infamię notam inures? Quodnam fuerit hoc iudicium? quod ius? quę lex? O formidabilem Censorum seueritatem! Quod si ne Homero quidem parcas, quis de reliquis poetis, aut oratoribus, aut historicis manus istorum, & suffragia vitabit? Actum de omnibus. nullum enim eorum inuenias, quin multa multorum nefaria scelera narret: Omnes igitur cum suis scriptis perdendi, ne scelerum ab impiis perpetratorum narratione piorum mores corrumpant. Hūc enim spectat tantę seueritatis iudicium. Sed quis quęso medicam artem dānandā ac abolendā censebit, quia non solū de bonis: sed de malis etiam pharmacis agit, quibus multi mortaliū perimuntur? Quis rerum nauticarum scientiā de medio tollendā dicet, quòd multi sæpe cū ipsis nauibus periant? Quis artes imperatorias vituperabit, quòd ab Imperatoribus, eorūque militibus multa præter ius, & fas sæpè fiant? Bona, laudationē, mala, vituperationē merentur. Vfus, non abusus habenda ratio. Bona à malis, & mala à bonis secernenda, & sua cuique laus, aut vituperatio tribuenda: Homines, quos nulla religionis, quos nulla pietatis, quos nulla Dei cura tangit, vel optimis quibusque scriptis abutuntur. hi referunt αὐτὸ κακοῦ μοι, quibus optimi quiq; cibi nocent: sed mali culpa non in ciborū bonitatē, verū in ipsam hominū κακίαν est conferenda. Haud tamen vllò modo